



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus  
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res  
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &  
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**


**Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>**

**Wirceburgi, 1743**

Dietrimus Abbas XXII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)



Ostheim Monasterio nostro rursus adjunxit, magnam pecuniæ vim jure hæreditario ad se pertinentem nobis dono dedit; quid? quòd etiam ipsius germana soror in Ecclesiam nostram admodum munifica fuerit; ut non abs re Gottfridum Abbatibus de Monasterio nostro optimè meritis accenseamus.

## DIETRIMUS ABBAS XXII.

Abbatum sæculi hujus seriem claudit Dietrimus anno 1213. Monasterio cum imperio impositus; quo Abbate licèt prospera Monasterio nostro tempora fluerent, funestis tamen Franconia fati jactabatur, quippe in quæ incidit Conradi Episcopi Herbipolensis tristissima cædes ab amicis propriis illata; cujus monumentum hodie extat in urbe Wirceburgensi excitata ad Summam Ædem columna eo ipso in loco, ubi patratum facinus fuit. Dietrimus extinctus est anno Domini 1220.

